

tamen pedum in stappa implicitus fuit. Cum equus eum per stipites traxisset, colissa^a sunt eius menbra et in tantum concussa, quod intra paucos dies vite terminum dedit. Sucessit^a ei in regno filius Lodovicus, qui post parvum tempus decessit uxore grvida; hec filium postumum peperit, qui paucis diebus supervixit. Sucessit^a illi alter Filippi^b filius, cui nomen est Filipus^b.

De pugna conserta pro Monte-Catino a Guelfis
et Gybelinis in agro Lucensi.

Postquam Guelfi Luca exclusi sunt, occupatum est a Ghibelinis castellum quod dicitur Seravalle in agro Pistorii. At castellum quod Mons-Catini dicitur Guelfis favebat et Lucenses opem ferentes exulibus Pistorii plurimum infestabat. Eo Pissani^c ac Lucenses cum duce ipsorum Ugutione sepe populati sunt agrum Montis-Catini; ut artius arcerent illos, munitiones struxerunt in circuitu Montis-Catini, que vulgo dicuntur batifolli^d. Ibi presidia locata sunt. Cum tandem inopia rerum afflictati essent homines eius loci, a Florentinis opem implorant. Hii regem Ro[bertum] sollicitant, ut opem ferat^e, poscunt, ut fratrem illius, qui princeps dicebatur¹, in presidium eis mitat^a cum manu valida equitum; datur a rege Florentinis princeps et Petrus alter frater regis cum electis equitibus. Cum principe venit filius eius² adolescens letus in armis. Itaque cum magnis equitum copiis venerunt Florentini ac peditum, Perusini quoque ac Senenses et alii Guelfi venerunt. In obsidione Montis-Catini erat Ugutio dux Pisanorum atque Lucensium ac Germani equites a Pisanis conducti; positis castris utrimque aput parvum fluvium qui dicitur Nevoli^f crebra certamina tumultuaria comitebantur^a a paucis. Interim agricole agri Lucensis, qui habitabant regionem proximam ei urbi, in circuitu per sex milia passuum freti exercitu Florentino^g pari consilio arma capiunt, Lucam impetunt, postu-

a) So Hs. b) So hier Hs.; 'Philippo' hat die Uebers. immer.
c) Folgt 'alt' getilgt Hs. d) In der Hs. scheint etwa 'dritifolli' zu stehen, das Wort ist in der Uebers. nicht wiedergegeben; 'battifolli' hat Giov. Villani IX, 70 bei Erzählung dieser Kämpfe um Montecatini.
e) 'ferāt' korr. in 'ferat', indem der Kürzungsstrich getilgt ist. f) 'Neuoli' korr. aus 'creuoli'; 'Nenoli' Uebers. Der Bach heisst heute Nievole.
g) 'floremino' Hs.